



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 24. Sex Cardinales ab Innocentio X. Papa creati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII. A. C. 1647.
 menta bellica, impedimenta, omnem-
 que armorum apparatus. In Flandria
 quoque Leopoldus Guilielmus Archi-
 dux, Ferdinandi III. Imperatoris Fra-
 ter, Belgii Gubernator Hispanis armis
 Armenterium & Landrecium expugna-
 vit, Gallorum non paucis aut captis
 aut cæsis, quos inter a suis maxime,
 ab Aula vero Gallica, cui ejus fides
 erat suspecta, minime deplorabatur
 Gassio Marescallus, qui militis æque
 ac Ducis partes agens, dum Lentium
 ignobile oppidum expugnare parat,
 glande plumbea trajectus occubuit:
 Prospero rerum Hispanicarum successu
 territi Lusitani fœdus cum Sueciæ Re-
 gina inire statuerunt, Holmiam decreto
 hanc in rem Legato: cum autem Sue-
 cicus Senatus ex hac armorum societate
 plus molestiæ, quam commodi speran-
 dum crederet, res optato caruit successu.

§. XXIV.

*Sex Cardinales ab Innocentio X.
 Papa creati.*

Hoc item anno die septima Octobris
 Innocentius X. summus Pontifex
 sex Prælatos Romana Purpura decora-
 bat, ex quibus primus erat Fabritius
 Sabellius patria Romanus ex Archiepi-
 scopo Salernitano Presbyter Cardinalis
 tit.

tit. S. Augustini: II. Michael Mazarinus itidem Romanus Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ex Aquensi Archiepiscopo ad Franciæ Regis preces Cardinalis tit. S. Cæciliæ renuntiabatur. III. Franciscus Cherubinus Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis ante Portam Latinam. IV. Christophorus Vidman Venetus Diaconus Cardinalis tit. S. Marci. V. Laurentius Raggius primo Cardinalis Diaconus S. Eustachii, postea Presbyter tit. SS. Quirici & Julitiæ. VI. Franciscus Maldachinus Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Via lata.

Sæc. XVII.
A. C. 1647.

§. XXV.

Francisci Mariæ Farnesii Cardinalis obitus.

Non nisi unum ex Purpuratis hoc anno defunctis reperio. Is erat Franciscus Maria Farnesius Rainutii Parmæ Ducis Filius, qui antè biennium die quartâ Decembris Purpuram ab Innocentio X. accepit, eandem verò unâ cum vita hoc anno die undecima Julii Deo & Ecclesiæ reddidit, nondum trigessimum ætatis suæ annum emensus.

Ciacopi. in
vita Inno-
centii X.